



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Practica Octaviani Vestrii I. C. Foro Corneliensis

Vestri, Ottaviano

Coloniae Agrippinae, 1597

VD16 V 940

Ad Romanae Praxis Tyrones Iacobus Pellæus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63002](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63002)

AD ROMANAE PRAXIS

Tyrones. Iacobus Pellaeus.



OGAVERAM sepius Oſtaui, Veſtrium
 virum doctiſſimum ac iam diu vobis no-
 tum, quem ego ſectari in Roman. praxi
 conſtitueram, quemque vnum mihi ex in-
 genti aliorum numero delegeram, nec ſe-
 niores Praxi archas, qui methadum huius artis non ſecus ac
 theſauros haecenus occultauerunt, vellet ipſe, qui quidem
 ad graviora contenderet, imitari: quin potius quae facile ſu-
 pte ingenio conſequutus ſit, eadem nobis tyronibus, ac mihi
 praefertim, qui eum iam pridem colerem atque admirarer,
 monſtrare ne grauaretur, quod faciliorem aliquando atque
 exploratiorem viam haberemus in tetrica hac arte, quae mi-
 bi plerumque inextricabili cuidam labyrintho, ab ſenioribus
 comparari viſa eſt, ut interdum quidem etiam veritus fue-
 rim, me huiusce artis deſertorem aliquando factum iri. Ille
 vero, cui omnia ceteris difficilia, caeleſti quodam dono fa-
 cilia ſemper ſe praebuerunt, ingenium meum quandoque de-
 territum ſapius ad vires ſuas reuocauit, ac mihi plane per-
 ſuaſit artis huiusce praecepta omnia viro alioqui erudito
 per ſe vltro concurrere, ac ſciens quanta maiore compendio
 quod vult pergat, qui recta via incedit, quam qui amne de-
 uium (ut Plautus inquit) ad mare ducem ſequatur, ubi pro-
 ximis aeſtius menſibus, quibus propter nimios calores a ſo-
 ro abſtinemus, ex Vrbe diſceſſiſſet in patriam, noluit mihi co-
 in itinere otioſus eſſe, & quem hic videtis libellum, qualem
 ſibi & temporis anguſtia, & memoriae facilitas, nulla penè
 librorum copia ad me ſcripſit, atque ex ipſo itinere ſtatim
 miſit. Quem ego cum iterum atque iterum perlegiſſem, vi-
 ſuſum mihi rem iudicio quidem meo comperiſſe non vul-
 gare, nec vni tantum mihi, verum etiam etatis noſtrae ac
 poſterioris quoque tyronibus omnibus vtilem & neceſſaria.
 Verebar tamen, ne, ſi illud ederem, auctoris ipſius animum
 offende-

offenderem, qui si hæc, qua mihi tam familiariter exhibuit,
in lucem exitura cogitasset, vberiora profecto ornatioraq;
reddidisset. Quod si ego mihi ipsi totam rem occuparem, ve-
rebar ne in vos, ac posteros denique huiusce artis candidatos
committere & peccare viderer, quamobrem cum longè gra-
uius existimarem vniuersos, quam vnum duntaxat quam-
uis mihi amicissimum, & de me bene meritum in re præ-
sertim, quam ego quidem ad honorem eius pertinere arbi-
trarer, offendere, nō potui diutius hunc ipsum libellum apud
me suppressere, quin in manus vestras veniret, ne quando-
que viderer maximum illum ganeonem gnathonem Ere-
xium amulari, qui, cum afferrentur in mensam fercula lau-
tiora, in ea despuere solebat, quod ceteris abstinentibus solus
ipse his frueretur. Maluique hunc librum in omnium vsum
exire, quam mihi soli apud me prodesse, utpote, qui bonum
tanto melius esse, quanto communius est, non ignorem, neq;
vos libelli vtilitatem ex eius paruitate expendetis, cogno-
scetis quippe parem magno, similemque gemmis, que sub
exiguo corpusculo precij amplitudinem ingentis celant. Le-
gite igitur omnes, quotquot estis, ac viam, quam nobis om-
nibus strauit rarus vir suisque calcata vestigijs è salebro-
sa atque aspera, commodam leuemque reddidit, ne, pergite,
ac veterum inhumanitatem dammate, qui grauiter in hanc

viam ingressi nobis iter nunquam monstrare volue-

runt, ut diutius oberramus, ac secum nunquam

nostri iuris, atq; omnium sem-

per incerti senesce-

remus.